

*non sunt de necessitate absolutionis. — Imo nec de præcepto. — Utile item est addere illam particulam, quam incurristi; nam illa sufficienter determinat genericam vocem. Quanquam neque illam addere existimo necessarium, quia in ipsa absolutione satis includitur, quod is, qui a suspensione absolvitur, illam incurrit; et ideo, quando res est dubia, additur illa conditio, Si quam incurristi. Tandem neque illa verba, Restituo te, etc., licet claritati inserviant, existimo esse necessaria, quia sine illis significatur sufficienter effectus hujus formæ, et quia is, qui absolvit, non aliter restituit quam tollendo vinculum; illo enim ablato, ex vi officii, seu beneficii, quod antea habebat is, qui absolvitur, manet habilis ad eorum usum; ergo per hanc absolutionem nulla alia restitutio fit per se, ut ita dicam, sed tantum per accidens, scilicet removendo prohibens, quæ remotio satis per verbum absolutionis significatur. Propter quam rationem illa verba, et restituo te, etc., videri possunt superflua, quia indicare videntur aliquem alium modum positivæ restitutionis, præter ablationem impedimenti; non tamen reprehendo usum illorum propter Doctorum auctoritatem, et majorem explicationem legitimo sensu illius verbi, restituo, qui est per absolutionem suspensum restitui ad pristinum statum, in quo ante suspensionem erat. Adde vero, prædicta verba non solum non esse de necessitate formæ, verum etiam nec de necessitate præcepti; et consuetudo non est tanta, nec tam certa, quæ judicari possit sufficiens, ut induxerit præceptum. Verba ergo substantialia sunt: Ego te absolvo a suspensione, vel alia similia, seu æquivalentia. Quod tamen intelligendum est juxta superius dicta de censuris in communi, ubi tractavimus, an debeant esse vocalia, vel sufficiant scripta, et quid de aliis signis dicendum sit.*

*De solemnitate in forma absolutionis a suspensione.*

3. *Secunda conclusio. — Secundo dicendum est, nullam certam solemnitem esse ab Ecclesia institutam, quæ ex præcepto servanda sit in hac absolutione ferenda. Probatur, quia nullo jure extat dicta solemnitas, neque etiam in communi usu habetur. Solum ait Navarrus citato loco, in hujusmodi absolutione exigendum esse jusjurandum ab eo, qui absolvitur, scilicet de satisfaciendo, aut*

*de obediendo, citatque c. Super eo, et c. Venerabili, de Sent. excom. Tamen in priori non est sermo de sola suspensione, sed conjuncta cum excommunicatione; et ideo mirum non est, quod, per se loquendo, esset necessarium juramentum, quanquam in eo casu dispensaverit Pontifex, ut promissio manualis sine juramento admitteretur. In posteriori autem loco est sermo de absolutione ad cautelam, et quæ in alterius præjudicium cedere poterat; et in omni casu simili verum existimo exigendum esse juramentum, vel aliam sufficientem cautionem, maxime quando res est gravioris momenti; extra hujusmodi autem casum non erit tale juramentum necessarium.*

4. *Signa ad cognoscendum quando absolutio detur ab una suspensione vel ab omnibus. — Hic vero occurrebant quæstiones illæ, an ad hanc absolutionem necessaria sit præsentia localis, vel ferri possit in absentem, et ignorantem, et non voluntarium, vel invitum; verum hæc omnia, et similia eodem modo expedienda sunt, quo in censura in communi. Unde hic etiam oportet advertere, quod ibi tractavimus, fieri posse, ut aliquis sit suspensus pluribus suspensionibus, vel diversarum rationum, vel tantum numero diversis, ut per se notum est; ideoque posse etiam contingere, ut ab una absolvatur, et non ab alia, quia non habent inter se necessariam connexionem, ut ex dictis ibi patet, quia nulla est hic specialis ratio. Et ideo diligenter inspiciendum est, an absolutio limitetur ad unam suspensionem, vel extendatur ad omnes; limitabitur autem ad unam, primo quando in forma absolutionis explicatur causa suspensionis; nam tunc solum tollitur illa, quæ propter talem causam contracta est, et alia, quæ orta fuerit ex diversa causa, manebit. Secundo, si una sit lata ab uno iudice, et alia ab alio, si unus absolvat, tollit suspensionem, quam ipse intulit, non aliam, nisi absolvat simpliciter ex facultate alterius; idemque proportionaliter est, si una sit a jure, alia ab homine. Item si una sit propter delictum, et alia propter defectum, priori ablata non tollitur posterior; nam potestatem longe diversam requirit; ut si quis ante legitimam ætatem sine dispensatione ordinatus sit, licet absolvatur a suspensione, quam propter illud delictum incurrit, non tamen manet statim habilis ad ministrandum in Ordine suscepto, donec vel ætatem impleat, vel in illo etiam defectu specialiter dispensetur; nam illa po-*

*tius est irregularitas quædam, de quo alias. At vero, quando potestas absolventis ad omnes suspensiones extenditur, et ab illo petitur absolutio, vel generatim ab omni suspensione, vel speciatim explicando modos et causas illarum suspensionum, tunc unica, et simpliciter absolutione omnes tolluntur, sive expresse addatur distributio, sive indefinite concedatur absolutio a suspensione, dummodo simpliciter et absque ulla limitatione detur, quia, cum illa absolutio sit indifferens, nihil operaretur, nisi omnes tolleret, quia non est major ratio de una, quam de alia; nisi fortasse per intentionem operantis limitaretur, quod sine dubio fieri posset; tamen, quando non constat alias de tali intentione, præsumendum est esse consentaneam verbis, et consequenter esse generalem et absolutam, sicut verba ipsa sunt, juxta communem eorum usum, ut diximus.*

DISPUTATIO XXX.

DE DIFFERENTIA SUSPENSIONIS A DEPOSITIONE, ET DEGRADATIONE.

*Depositionis nomen æquivocum. — Quamvis depositio et degradatio proprie censuræ non sint, ut in principio hujus materiæ diximus, tamen quia solemnnes Ecclesiasticæ pœnæ sunt, et cum censuris, præsertim cum suspensione, maximam affinitatem habent, ad hujus materiæ complementum necessarium est aliquam earum mentionem facere. Atque ad id præstandum hic locus accommodatissimus visus est, ut suspensionis natura, quam hactenus absolute consideravimus, nunc per comparisonem ad has pœnas exactius intelligatur. Est autem circa nomen depositionis advertendum, æquivocum esse, sicut et verbum deponere, a quo deducitur. Deponere enim aliquando idem significat, quod rem alicui custodiendam tradere, et res sic tradenda depositum dicitur; actio vero ipsa tradendi dicitur depositio; quomodo frequenter accipitur in utroque jure sub titulis de Deposito. Et inde fortasse derivatum fuit in jure ad significandam testium depositionem, seu testificationem; nam qui testimonium suum profert, quodammodo veritatem sibi cognitam fidei iudicis committit. Atque sic accipitur nomen depositio in L. 3, C. Si minor se majorem dixerit. Alio vero modo verbum deponere significat idem quod auferre, aut derelinquere aliquid, quomodo inter alia di-*

*citur quispiam deponere officium, vel imperium. Et hinc etiam nomen depositionis significat illam actionem per quam aliquis, vel deponit, vel deponitur ab officio, vel a qualibet dignitate. Et quidem, si depositio fiat ab ipsomet, qui deponitur, omnino sponte et voluntarie, non habet rationem pœnæ; si vero quis invitus ab alio deponatur, tunc depositio pœnalis est; et si versetur circa munus, vel dignitatem Ecclesiasticam, erit specialis pœna Ecclesiastica, ad quam significandam in jure canonico accommodata est hæc vox; et in hac significatione nunc de illa generatim tractamus. Nam etiam in hac acceptatione plures habet significationes, et æquivoca esse videtur, ut ex dicendis constabit. Duplex autem significatio hic necessario præmittenda est, quia interdum videtur accipi genericæ, ut comprehendit degradationem; nam illa etiam depositio quædam est; interdum vero magis specificæ, ut significat pœnam quamdam a degradatione, et a suspensione distinctam, quæ depositio verbalis appellatur; nam degradatio, depositio realis esse censetur. Prius igitur de depositione verballi, quæ frequentius depositio vocatur; postea de reali, seu degradatione dicemus.*

SECTIO I.

Quomodo suspensio a depositione differat.

1. *In quibus conveniat suspensio cum depositione. — Prima convenientia. — Ut rationem dubitandi, atque dicendi, seu explicandi differentiam hanc melius aperiamus, oportet incipere ab his, in quibus depositio, et suspensio conveniunt; sunt enim tam multa, ut non videantur distingui, nisi tanquam species, et genus; nam depositio hæc suspensio quædam esse videtur. Conveniunt enim primo, quod utraque est Ecclesiastica pœna, ut per se notum est. Unde utrique etiam communia sunt illa omnia, quæ sunt de ratione pœnæ, nimirum, quod propter culpam proportionatam inferatur, et quod solus ille imponere eam possit, qui jurisdictionem habet in eum, cui imponitur, et similia. Et quamvis depositio talis sit pœna, quæ non habet rationem censuræ, tamen per hoc solum non videtur sufficienter distingui a suspensione generatim sumpta, sed ab aliqua tantum, quia etiam datur aliqua suspensio, quæ non habet propriam et exactam rationem censuræ, ut in superioribus visum est.*



2. *Secunda convenientia.* — *Tertia convenientia.* — Secundo conveniunt, quia etiam depositio privat Ecclesiasticis functionibus, quod de suspensione satis ostensum est, et de depositione constat, tum ex dictis de ipsa voce, tum etiam quia in Ecclesia non dicitur quis deponi, cum privatur vel receptione sacramentorum, vel privatis actionibus, aut bonis communibus omnibus fidelibus; hujusmodi enim privationes ad excommunicationem, vel interdictum potius pertinent; depositio ergo privat aliquo munere publico, vel Ecclesiastica dignitate, cum depositio Ecclesiastica pœna sit. Unde etiam fit (quæ potest esse tertia convenientia) ut hæc etiam sit pœna propria clericorum, quod sumitur ex c. Qui semel, 50 dist., et c. 2 de Pœnis, in 6, et aliis statim citandis. Et constat ex eodem principio, scilicet, quod privet muneribus, functionibus, aut dignitatibus Ecclesiasticis, quæ sunt propriæ clericorum; quamvis enim, ut supra dicebam, depositio late sumpta dicitur de quocumque munere temporali, et sic etiam iudices seculares, vel alii ministri reipublicæ dicantur a suis muneribus deponi, tamen depositio specialiter sumpta, ut est Ecclesiastica pœna, solum dicit respectum ad Ecclesiastica beneficia, vel munera; et ideo talis depositio clericorum propria est. Atque ita sentit Navarrus, c. 27, num. 151, ubi Panormitanum, Cardinal., et alios citat. Et videri etiam potest Decius in cap. At si clerici, de Judiciis, num. 5; Bernard. Diaz, in Pract., c. 153. Alio tamen modo extenditur ad religiosos, etiamsi clerici non sint, quatenus sunt personæ Ecclesiasticæ, quod etiam suspensioni commune est; sic enim Abbatissæ, et suspendi, et deponi solent.

3. *Quarta convenientia.* — Quarto conveniunt, quod sicut suspensio esse potest ab officio, et beneficio, ita etiam depositio; sumitur ex Abbate in c. Insinuatam, de Simonia, et in c. Quærelam, de Jurejurando, n. 4, ubi ait propter perjurium posse aliquem deponi ab Ordine, et beneficio; supponit ergo utramque speciem depositionis reperiri; citat c. Cum non ab homine, de Judiciis, ubi solum dicitur clericum in perjurio, aut homicidio, aut alio simili crimine deprehensum deponendum esse. At vero, in c. Si Episcopus, dist. 50, specialiter fit mentio de depositione ab officio, et in c. Si quis clericus, 81 dist., et in c. 4 de Homicid., in 6, diserte fertur depositio, ab Ordine, officio, dignitatibus, etc., et de utraque intelligi potest, quod Felinus in

c. Ex parte, de Accusationibus, n. 4, ait, depositum a beneficio ex illius redditibus fore alendum, ne egeat, quod nos supra etiam diximus de suspensione, quæ est in pœnam delicti commissi, et non ob contumaciam. Quia vero depositio simpliciter dicta magis respicit Ordines, quam beneficia, juxta communem modum loquendi, et quia in depositione a beneficio facillime cernitur differentia, ideo eam breviter possumus expedire, et rationem hujus depositionis a beneficio declarare.

*Depositio et suspensio a beneficio quomodo differant.*

4. Depositio itaque et suspensio, si utraque sit a beneficio, in hoc potissimum differunt, quod suspensio non privat beneficio, sed perceptione fructuum; depositio autem privat ipso beneficio. Quod patet ex proprietate ipsius vocis, quæ hujusmodi privationem significat, ut dictum est. Unde Abbas supra, eandem interdum vocat depositionem, interdum vero privationem beneficii. Declaratur, quia depositio hæc in primis est perpetua, et in hoc differt ab omni suspensione ad tempus certum, et ab illa, quæ indefinite fertur, quæ virtualementem conditionem includit (ut dixi), ratione cujus dici potest aliquo modo temporalis, licet sub alia consideratione sit perpetua negative. A suspensione autem, quæ positive ut perpetua fertur, in hoc maxime differre videtur, quod suspensio etiam illa privat directe solum fructibus, et usu beneficii, non radice ipsa, ut sic dicam; depositio autem privat radice, nec facile poterit alia differentia cogitari; ergo depositio hæc per se primo privat beneficio ipso. Verum est tamen, quod perpetuo suspensus illo modo, eo ipso videtur beneficio privandus, quia dissonum rationi est, ut beneficium habeat, qui a percipiendis ejus fructibus perpetuo interdictus est. Quia vel habebat beneficium sine obligatione ad officium, quod est contra finem ejus, aut erit debitor officii in perpetuum, quod est etiam contra institutionem beneficii. Nihilominus tamen ex vi suspensionis, quantumvis perpetuæ, non perditur beneficium ipso jure; unde obtenta dispensatione suspensionis illud retinere poterit; per depositionem autem tollitur ipso facto, nec retinere poterit nisi per novam concessionem.

5. *Depositio an reddat inhabilem reum ad novum beneficium.* — Unde obiter expeditur

dubium, an hæc depositio dispensabilis sit. Quod attigit Panormit., in c. Post translationem, de Elect., et in c. Insinuatam, in fine, et in c. De simoniaco, de Simonia, et ibi Felinus, num. 3, et alii, qui non in genere de hac depositione, sed in particulari, ut est pœna simoniæ, vel alterius vitii tractant, quod nunc ad nos non spectat. Ut ergo in genere aliquod responsum demus, oportet prius declarare, an hæc depositio præter privationem beneficii prius possessi, reddat personam inhabilem ad illud, vel alia recipienda. Ad quod breviter dicendum est, depositionem in genere sumptam includere hanc vim, quia includit perpetuitatem positivam quodammodo majorem, quam sit in suspensione etiam perpetua, ut ex usu vocis constat, et in sequentibus latius explicabitur. Si ergo depositio fit simpliciter a beneficio, perpetuo privat omni beneficio, et consequenter ipsa manente reddit personam inhabilem ad beneficium suscipiendum. Si vero sit ab uno tantum beneficio, respectu illius servat eandem proportionem; tamen respectu aliorum non inducit inhabilitatem, juxta dicta de suspensione, quæ hic cum proportionem, et fortiori ratione possunt applicari.

6. *An depositio a beneficio sit dispensabilis.* — Jam vero ad priorem interrogationem respondeo, quantum ad privationem a beneficio, si semel facta est, non esse capacem dispensationis, quia est pœna de se perpetua, quæ simul tota fit, et licet forte postea restituatur beneficium, vel aliud detur, non est propria dispensatio, sed reparatio aut recompensatio prioris damni, quam potest alius facere, si alia persona non sit incapax beneficii. Quantum ergo ad inhabilitatem, clarum est dispensari posse a Pontifice, cum sit juris humani; difficilius autem dispensatur quam suspensio perpetua, et ideo dixi depositionem hanc moraliter esse magis perpetuam. Episcopus autem non potest in illa dispensare nisi in casibus jure concessis, propter dicta supra a fortiori de dispensatione. Unde etiam obiter notari potest, pœnam privationis beneficii sub hac voce latam non includere inhabilitatem ad iterum recipiendum illud, si detur ab illo, qui conferre potest, quia nomen privationis hoc non dicit, et vox pœnalis restringenda est; unde in hoc privationis pœna minor est, quam depositionis, respectu ejusdem beneficii. Si tamen cum privatione addatur inhabilitas, æquivalet depositioni a beneficio respective.

*Suspensionis et depositionis ab officio discrimen.*

7. *Depositio a jurisdictione.* — *Depositio ab Ordine in quo conveniat cum suspensione.* — *Prima convenientia.* — Depositio ab officio, et ab Ordine, et a jurisdictione esse potest, argument. cap. 2 de Pœnis, in 6. Cum est a jurisdictione, non usu tantum, sed ipso munere et dominio (ut sic dicam) jurisdictionis privat, et in hoc differt a suspensione jurisdictionis, eadem proportionem qua de depositione a beneficio dictum est, nec de hac depositione plura sunt necessaria. Quæ vero est ab Ordine, in hoc convenit cum suspensione ab Ordine, quod non privat Ordine ipso; nec enim potest, cum per indelebilem characterem imprimatur; quem proinde Ecclesia auferre non potest, ut est certa et communis Theologorum doctrina in 4, dist. 25, quam etiam in 3 tomo tetigimus ad q. 63 D. Thomæ. Unde fit, etiam esse commune huic depositioni cum suspensione, ut, quamvis depositus graviter peccet exercendo actus Ordinis, nihilominus validi sint, quando jurisdictionem non requirunt (ut excludamus absolutio-nem sacramentalem). Itaque depositus sacerdos vere consecrat, et vere ungit, et Episcopus depositus vere ordinat, vere confirmat, si debita forma, et materia, et legitima intentione utatur, eodem prorsus modo, quo id diximus de suspensione, ex eodem principio, quod hic retinet eandem Ordinis potestatem, a qua ex divina institutione actus habet suum valorem et efficaciam, si cætera necessaria concurrant.

8. *Secunda convenientia.* — Unde ulterius etiam convenit hæc depositio cum suspensione, quod non privat per se et ex vi sua privilegio clericali, nisi hoc in specialem pœnam expresse adjungatur, quod notavit Abbas in cap. At si clerici, § de Adulteriis, de Judiciis, num. 2, ubi Additio, Felinum et Speculatorem in eandem sententiam citat. Colligiturque ex illo textu, ubi dicitur, clericum depositum non esse tradendum judici seculari, quia videlicet per solam depositionem non amittit privilegium fori, et ideo, nisi specialiter illo privetur propter novum delictum vel contumaciam, servandum illi est. Unde in c. Cum non ab homine, eodem titulo, clericus criminis prius deponendus dicitur; postea, si contumax sit, excommunicandus vel anathematizandus; si vero crescente contumacia, in profundum malorum venerit, cum



*Ecclesia non habeat aliud quod faciat, tunc tradendus est Curiae seculari;* ergo antea per solam depositionem non amiserat privilegium clericale. Quod etiam colligitur ex cap. Tua, de Pœnis, ut latius declarat ibi Abbas.

9. *Tertia convenientia.* — Denique in hoc etiam convenit depositus cum suspensio, quod sicut non privatur privilegio, ita neque onere clericali, quale est pensum diurnum horas canonicas recitandi, si sit clericus in sacris, ut docent Summistæ omnes, verb. *Degradatio*, et notavit Covarruv., lib. 3 Variarum, cap. 43, num. 8, ubi alios refert. Et ratio est, quia hæc obligatio comitatur ipsum Ordinem, etiamsi nullum beneficium aut Ecclesiasticos redditus habeat conjunctos; Ordo autem tam manet in deposito, quam in suspensio. Item a fortiori non privat depositio obligatione servandi castitatem, nec inhabilitate ad matrimonium contrahendum, ut recte notavit Abbas, in c. 4 Qui clerici vel voventes, n. 6, ex c. Dictum, 84 dist.

10. *Voce suspensionis pro depositione et e converso sæpe jura loquuntur.* — Nihilominus depositio et suspensio ab Ordine diversæ pœnæ censentur, juxta usum jurium, ut patet cap. At si clerici, de Judiciis, et cap. 2 de Pœnis, in 6, et Doctoribus his locis, et Summistis in dictis verbis. Usus autem vocum reddit obscuram rationem diversitatis. Suspensio enim sæpe vocatur depositio, ut notat Glossa, cap. Si quis Episcopus, dist. 83, et ex multis canonibus Apostolorum sumitur, et putant multi in rubrica *de Clerico excommunicato, vel deposito ministrante*, depositum appellari omnem illum, qui suspensus est, quia in textibus illius tituli sæpe fit mentio de suspensio; illi ergo etiam in titulo comprehenduntur. Unde in cap. 3 ejusdem tituli aliqua depositio vocatur perpetua, in quo significatur aliam esse non perpetuam, quæ non est aliud quam suspensio. E contrario vero depositio etiam perpetua solet appellari aliquando suspensio, ut ex Innocentio notavit Navarrus, et patet in motu Sixti V de male promotis, et sæpe alias. Nam quia omnis hæc pœna privat usu Ordinum et non ipsis Ordinibus, propter primum dici potest depositio, et propter secundum suspensio. Juxta propriam vero magisque usitatam significationem illarum vocum, depositio significat privationem perpetuam et irremissibilem, suspensio vero minime. Ita Sylvester, verb. *Degradatio*; Navarrus, cap. 47, num. 154; Abbas, in cap. Veritatis, num. 43, de Dolo et contumacia, et

sumitur ex illo textu, et cap. 4, 2 et sequent., 50 distinct., cum aliis citatis. Ratio vero est, quia uterque modus pœnæ potest ab Ecclesia imponi, ut ex usu constat, quia nulla est repugnantia, et in delictis potest esse fundamentum, et potestas non deest, quia licet Ecclesia non tollat characterem, potest perpetuo prohibere usum ejus, saltem ne licite fiat, et hoc facit per depositionem, per quam privat, quantum potest, clericum, quem deponit, munere clericali, illum perpetuo removendo, quod non ita facit per suspensionem.

11. *Discrimen inter depositionem et suspensionem positive perpetuam.* — Ex his ergo satis clara est differentia inter depositionem et quancumque suspensionem ad definitum tempus. Eademque fere versatur cum suspensione indefinite lata, quia hæc licet negative dicatur perpetua, aliquo modo est temporalis et tolli potest, ut dixi; a suspensione vero positive perpetua, et cum hoc addito lata, vix potest distingui, quia habent eodem effectus; neutra enim privat ipso Ordine, et utraque privat usu totali (de hac enim suspensione tracto), positive perpetua, et sine spe remissionis, juxta c. Si quis Episcopus damnatus, et c. Theogualdus, 11, quæst. 3; ergo non habent in quo differant. Atque ita certe sentiunt Panormitanus, Sylvester, et alii locis citatis; nam cum distinguunt suspensionem perpetuam a depositione, videntur loqui de suspensione, quam nos indefinitam seu negative perpetuam appellamus. Estque aliquod hujus rei indicium in c. Veritatis, de Dolo et contumacia, ubi prius ponitur absoluta suspensio, postea irremissibilis depositio. Et hoc sensu Navarrus supra ait, suspensionem perpetuam habere rationem depositionis, significans suspensionem partialem non esse depositionem, licet perpetua sit. Sed hoc pertinet ad modum loquendi, et potius depositio illa irremissibilis, de qua loquitur cap. Veritatis, partialis erat, ut notat Abbas ibi, num. 15. Cum proportionem ergo videtur esse idem suspensio positive perpetua, et depositio ab Ordine. Hunc ergo sentiendi, et loquendi modum, et probabilem, et facilem esse sentio. Si quis autem dicat, hanc eandem privationem perpetuam usus Ordinis interdum esse dispensabilem jure ordinario, et tunc vocari proprie suspensionem, interdum vero imponi ut irremissibilem sine spe dispensationis, ita ut licet Pontifex possit dare de plena potestate, regulariter tamen et quasi lege ordinaria non faciat, et tunc vocari de-

positionem. Si quis (inquam) hoc dicat, mea sententia non male sentiet, nec loquetur sine fundamento in jure, ut videre licet, 11, q. 3, per multa capita, et in cap. Veritatis, de Dolo et contumacia. Sed in hoc etiam non potest magna vis fieri, quia interdum de suspensione perpetua dicitur, ut sit sine spe dispensationis, ut patet in motu Sixti V contra male promotos, et Abbas, in dict. cap. Veritatis, notat hæc verba maxime poni ad terrorem. Et ita ipse ibi sentit hæc non differre, vel certe videtur esse tota diversitas in usu vocum, et ideo in hoc contendendum non est.

12. *Discrimen aliud inter easdem pœnas.* — Alio item modo potest suspensio perpetua a depositione distingui, vel potius duplex modus depositionis cum aliqua diversitate in re et quæ ad jurium intelligentiam conducatur, et ideo explicandus etiam est. Oportet ergo advertere, quod præter depositionem realem seu degradationem, de qua sectione sequenti dicendum est, duplex depositio verbalis distingui potest; nam quædam est, quæ absolute (ut sic dicam) et per se fit, sine ordine ad aliud; alia, quæ fit in ordine ad degradationem realem; quam divisionem attigit Julius Clarus in Practica criminali, quæst. 74, n. 4; et Bernardus Diaz, in Practica criminali, can., c. 3, num. 7. Inter quas possunt multæ differentie assignari, tam ex modo quo fiunt, quam ex effectibus, ut ex dicendis constabit. Ad tollendas ergo verborum æquivocationes, vocemus priorem depositionem absolutam, aliam respectivam, seu illam tantum depositionem, hanc depositionem verbalem; alia vero aut non vocetur depositio, sed degradatio, aut dicatur depositio realis seu actualis. Quando ergo dicitur depositio nihil aliud esse, quam quædam suspensio positive perpetua et irremissibilis, intelligendum id est, de depositione absoluta; nam ab alia multum differt, eodem, scilicet, modo, quo ipsa depositio absoluta ab illa differt. Diversitas autem inter depositionem absolutam et respectivam potissimum est, quod una ordinatur ad degradationem, et non alia. Consistit autem moraliter hic respectus seu differentia in hoc, quod depositus tantum absolute non potest sine nova sententia degradari, et si cum eo respectu depositus est, potest statim ad executionem degradationis pertransiri. Ita colligitur ex cap. 2 de Pœnis, in 6. Præter hanc autem differentiam non habent aliam quoad effectus morales, quos inducunt, quia neutra privat privilegio clericali usque ad realem degrada-

tionem, ut etiam de respectiva depositione probant superius adducta; reliqui vero effectus omnes ab utraque fiunt.

*An suspensio perpetua, aut depositio ab officio privet ipso jure beneficiis possessis, et ad futura inhabilitent.*

13. *Ratio dubitandi.* — Hic vero tractandum est dubium supra remissum, an aliqua depositio verbalis vel perpetua suspensio, privet ipso facto beneficiis possessis, reddantque hominem inhabilem ad alia de novo acquirenda. Videtur enim probabiliter ostendi posse utramque id facere, sive absolute feratur, sive ab officio, sive ab omni Ordine; quod vero una potius quam alia id faciat, nulla ratione probabiliter ostendi potest. Declaratur, quia si habent hunc effectum, est propter perpetuitatem, quæ utrique communis est; ergo et effectus. Quod autem ex perpetuitate ille effectus nascatur, videtur esse in primis doctrina communis Canonistarum. Nam Imola in cap. Cum dilectus, de Consuet., referens Calderinum ait, suspensionem perpetuam ab officio habere vim privationis, et tunc taliter suspensum esse privatum etiam beneficio. Sic etiam Abbas in cap. Cum bonæ, de Ætat. et qualit., num. 6, referens Hostiensem ait, suspensionem ab officio non extendi ad beneficium, nisi feratur ex impedimento perpetuo. Ex quorum mente hæc conficitur ratio: beneficium datur propter officium; ergo qui perpetuo privatus est officio clericali, consequenter privatus est beneficio, quia ablato fundamento ruunt reliqua. Unde Glossa, 1, quæst. 3, in princip., verb. *Annexa: Qui privatur (inquit) officio, et beneficio privatur.* Et refert jura, quæ parum conferunt, præter ea verba cap. Eos, 81 dist.: *Sicut se justissime ab officio alienos faciunt, ita beneficio Ecclesiastico privatos esse adjudicamus.*

14. *Quid in hoc dubio sentiendum de depositione aut suspensione perpetua jure latis.* — Nihilominus doctrina hæc limitatione indiget; distinguere ergo oportet inter hanc pœnam a jure latam et ab homine, item inter beneficium jam obtentum et obtinendum. Et dicendum in primis est, per depositionem, vel suspensionem ab ordine vel officio quantumvis perpetuam solo jure latam non amitti ipso facto beneficia jam possessa. Hoc sufficienter probamus, quia nullo jure id cautum est, neque auctores communiter id affirmant. Item quia irregularitas non habet hunc effec-